21

LIBER PRIMUS

Creditur. an melior cum thaida sustinet aut cum
Uxorem comoedus agit uel dorida nullo
Cultam palliolo. mulier nempe ipsa uidetur
Non persona loqui. uacua et plana omnia dicas
Infra uentriculum et tenui distantia rima.
Nec tamen anthiocus nec erit mirabilis illic
Aut stratocles aut cum molli demetrius haemo.
Natio comoeda est. rides maiore cachinno
Concutitur. flet si lacrimas conspexit amici
Nec dolet. igniculum brumae si tempore poscas
Accipit endromidem. si dixeris aestuo sudat.
Non sumus ergo pares. melior qui semper et omni
Nocte dieque potest alienum sumere uultum
A facie iactare manus laudare paratus.
Si bene ructauit si rectum minxit amicus.
Si trulla inuerso crepitum dedit aurea fundo.
Praeterea sanctum nihil ab inguine tutum.
Non matrona laris non filia uirgo neque ipse
Sponsus leuis adhuc non filius ante pudicus.
Horum si nihil est aulam resupinat amici.
Scire uolunt secreta domus atque inde timeri.
Et quoniam coepit grecorum mentio transi
Gymnasia atque audi facinus maioris abollae.
Stoicus occidit baream delator amicum
Discipulumque senex ripa nutritus in illa.
Ad quam gorgonei delapsa est pinna caballi.
Non est romano cuiquam locus hic ubi regnat
Protogenes aliquis uel diphilus aut hermarcus
Qui gentis uitio numquam partitur amicum.

© BU de médecine, Bibliothèque interuniversitaire de Montpellier
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bumm_h125/0049
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991